

Ob 30

E i n l a d u n g s s c h r i f t

zu der

am 3. und 4. Oktober 1834

a n z u s t e l l e n d e n ö f f e n t l i c h e n P r ü f u n g

der Schüler

des

Königl. Friedrichs - Gymnasiums

zu Gumbinnen.

Inhalt:

1. De Olynthiacarum Demosthenis orationum ordine. P. II. Vom D.L. Petrenz.
2. Jahresbericht des Direktors.

Gumbinnen, 1834.


Gedruckt in der Melcherschen Buchdruckerei.





Corrigendum est:

Pag. 6. vers. 9. *Χέοντας* : *Ἐχεόντας*.



a.B.17.18

De Olynthiacarum Demosthenis orationum ordine.

Commentationis particula altera.

Quoniam superiore anno, quam de Olynthiacarum orationum ordine scriptiōnem scholasticam institueram, pertexere totam per plagularum angustias non licuit, nunc denuo mihi facta scribendi copia, reliquam ejusdem commentatio-
nis partem in medium proferre placuit. Cui quum partim singulos illarum
orationum locos expendere atque comparare, partim adversariorum quosdam
errores refellere propositum sit; etiam in his ita versabimur, ut, quae ab aliis
satis sunt explanata ac transacta, ea vel silentio praetermittamus, vel, si propter
rerum pondus non poterunt sine argumentationis detimento praeteriri, tan-
tum breviter ac summatim persequamur.

C a p u t III.

De singulis orationum locis, quibus vulgatus ordo confirmatur.

Hoc in genere, ne dissipata disputatio nostra per diversissima ac dissimilima vagetur, praecipuos locos, qui pro nostra pugnare causa videntur, in genera quaedam colligere placuit, seu ad singulas illi orationes, seu ad binas, seu ad ternas pertinebunt.

I. Ac primum quidem ipsa *exordia* si incorrupto judicio ponderaveris, facile illud apparebit, in *prima* statim ab initio declarari, integrum tum causam fuisse nec quidquam a populo consilii captum; in *secunda*, rem ipsam satis jam cognitam esse, nec id nunc agi, ut, qualis illa sit, exponatur, sed quibus maxime causis ad res strenuis impavidisque animis gerendas per moveri cives debeant; in *tertia* denique, in tantum jam discriminem rempublicam adductam ac tam afflictam rerum conditionem esse, ut ad ultima iamjam remedia atque auxilia descendendum sit.

Primi enim exordii haec fere sententia est (p. 9, 1—10): Multis profecto pecuniis cives illud praeoptaturos, *si, quid in his rebus, de quibus de-*

liberarent, profuturum esset reipublicae, haberent exploratum. Quam ob rem promis oportere animis eos audiri, quicunque consilio suo subvenire reipublicae vellent. Neque enim deesse, quorum uterentur consiliis; ut ex omnibus utilissima eligendi paratam haberent copiam. — Ex his, credo, satis manifestum est, rem, de qua deliberaretur, ipsam, quum haec Demosthenes praefanda duxit, nondum cognitam et exploratam, nec quidquam a populo decretum fuisse, sed inter diversas oratorum sententias illum suspensum fluctuasse. Neque enim primum Demosthenem in his comitiis, sed post alios demum oratores surrexisse, quum his verbis ipsis indicatur et maxime quidem p. 9, 4—5., tum ex alio ejusdem orationis loco cognoscitur p. 13, 28 — p. 14, 5., ubi dubium non est, qui postremi ponuntur verba facientes, in his ipsum se Demosthenem numerare. Eam vero hujus exordii sententiam esse, id nunc agi, ut, quid potissimum sit faciendum, exploretur et ex cognito consilium capiatur, etiam ex alio loco cognoscitur p. 13, 26 — 28.: τὸ μὲν ἐπιτημῆν ἵσως φήσαι τις ὅν γέρειον οὐτὶ παυτός εἶναι, τὸ δὲ οὐ πέρ τῶν παρόντων δέ τι δεῖ πράττειν ἀποφαίνεσθαι, τοῦτο εἴτας συμβούλου. Itaque quum a tali sententia vix posset orationis exordium capi, nisi quum primum ea causa in deliberationem vocaretur, primam hanc ex tribus in eadem causa habitis orationibus fuisse consentaneum est.

Secundae vero exordium tale est (p. 18 sq.): Quum multis ex rebus Deorum erga populum Atheniensem benevolentia eluceret, tum ex praesentis temporis conditione eandem cognosci. Nam quod ad bellum Philippo faciendum exstisset ii, qui et regionem illius regno confinem incoherent et opibus uterentur validis, et, quod omnium maximum esset, eam de hoc bello sententiam conceperint, ut in gratiam cum illo redire non solum rem lubricam et incertam, sed evertendae quoque suae patriae esse existimarent, id vero ad divinum coelestium beneficium referendum videri. Quamobrem jam illud videndum esse, ne temporibus ipsi deteriores esse viderentur. Nec in tempore nunc esse, quantae sint Philippi opes, explicare: quod aequi ipsis ignominiosum ac regi gloriosum foret; sed perfidiam regis et improbitatem ex ipsis factis demonstrare, id duas ob causas nunc expedire: primum, ut, quanta esset illius nequitia, persuaderetur omnibus, tum, ut *ii*, qui potentiam regis tamquam invictam pertimescerent, meliora edocerentur, τοῦ τοῦ οὐ περικπεπληγμένου ὡς ἄμαχόν τινα τὸν Φίλιππον ἰδεῖν, ὅτι πάντα διεξελήλυθεν, oīs

πρότερον παρακρονόμενος μέγας πολέμης, και πρὸς αὐτὴν ἥκει τὴν τελευτὴν τὰ πράγματα αὐτῷ. — Hinc primum illud nemini dubium esse potest, hoc loco Demosthenem de bello Olynthio non ut de re nova et tum maxime ad populi notitiam perlata, sed jam prius facta et cognita praefari; deinde, quibus verbis ejus belli commoditas et Olynthiorum in Philippum animi indicantur (p. 18, 4—10), haec si cum iis comparaveris, quae de eadem re in prima oratione commemorata sunt (p. 10, 16 sq, et p. 16, 28 sq.), fieri vix poterit, quin nostro loco summatis quodammodo atque sic de his rebus mentionem esse factam intelligas, ut de quibus jam prius esset copiosius expositum. Denique, id quod maximum est, quod huic orationi id orator ipse propositum esse declaravit, *ut metum et terrorem ex civium animis eximeret* (p. 19, 14—20), hoc egregie comprobantur ea, quae de hujus orationis consilio supra disputavimus (Partic. I. p. 14 sq.).

Tertii denique haec est exordii summa p. 28 sq.: Qui de re proposita verba fecissent oratores, eos subjectam huic deliberationi quaestionem plane pervertisse. Nam quam nihil aliud isti quam ultiōnem poenasque a Philippo repetendas jactarent, eam nunc esse rerum conditionem, ut, *ne quid ipsi calamitatis acciperent*, unice circumspectiendum esset, atque illud præ ceteris spectandum, *ut socii servarentur*. Attamen non in eo se haesitare, quid esset suadendum, sed quam de ea re dicendi rationem iniret, quoniam non tam nescirent, quid factu opus esset, quam facere id nollent. Quocirca, si libera ingenuaque oratione, quod sentiret, eloqui conaretur, veniam ejus rei sibi darent nec alia re se commoveri, nisi veritatis amore et publicae salutis studio, considerent. — Tria rursus ex his perspicuntur: primum, exultasse oratorum vulgus poenasque de Philippo exigendas somniasset: unde probabilis est conjectura, victorias nescio quas illo tempore Athenis jactatas esse, seu Charideni illae fuerint, quae eorum est, qui ad Philochororum se applicant, sententia, seu Charetis, ut ii existimant, qui nulla ante secundam orationem auxilia Olynthum esse missa arbitrantur. Utut est, hoc pro certo habendum, missas fuisse ante *hanc* orationem copias et manus cum Philippo consertas. Idque alio hujus orationis loco confirmatur p. 38, 19 sq. *οὐδὲ αὐτοὺς μὲν αἴγετον —, οὐτὶ δὲ οἱ τοῦ δεινούς νικῶσι ζέοντες, σαῦτα πυνθάνεοσθαι ταῦτα γὰρ νυνὶ γίγνεται.* Quam autem vanae palmae istae fuerint, id ex acerba Demosthenis objurgatione patescit, qui, quum ipse in prima oratione dupli rem exercitu

gerendam censisset, uno qui Macedoniam populararetur, altero qui Chalcidensibus praesidio esset, tum jam adeo res afflictas esse declaravit, ut superbientes vulgi spiritus compescendos et in tuenda sociorum incolumitate acquiescendum putaret. Eademque rerum conditio quum ex totius orationis habitu et quasi colore cognoscitur (cf. Partic. I. p. 16 sq.), tum distinctius quibusdam locis indicatur: p. 29, 6. ὅρᾶτε γὰρ, ὡς ἐκ τοῦ πρὸς χάριν δημητροῦ ἐνίους εἰς στῖν προσλαύνεις μοχθηρίας τὰ πράγματα. p. 34, 23. προπέποτος τῆς παραυτίναις ήδονῆς καὶ χάριτος τὰ τῆς πόλεως πράγματα καὶ τοιαντὶ συμβαίνει. i. e. tam misera et acerba, qualia nunc eveniunt. Pag. 38, 7. Συμβαίνει τε τοιοῦτον οἶον καὶ τὰ γῆν. Haec igitur qui recte ponderaverit et cum primae ac secundae orationis exordiis argumentisque comparaverit, non poterit dubitare, quin ultimo loco haec oratio collocanda sit. Denique hoc ipso jam exordio, quid maxime consequi hac oratione vellet, haud obscure Demosthenes significavit. Ardua rerum requirere ardua ac nova consilia. Ne mirarentur igitur, neve sibi veniam denerarent, si dura quaedam et acerba suaderet. Haec ad rogationem de pecuniis theatricalibus ad militaria stipendia conferendis spectare, quam orator postea persequitur (p. 31 sqq.), vix cuiquam dubium esse potest. Atque idem hinc intelligitur, quod, quum, antequam in rem propositam ingrederetur, praemonenda quaedam de magnorum subsidiorum necessitate ac de praesentis temporis ratione duceret, ea his verbis intulit p. 29, 18: Ἀναγκαῖον δὲ ἵπολαμβάνειν μηρά τῶν γεγενημένων πρώτον ὑμᾶς ὑπομνήσαι quibus summam orationis iis contineri declaravit, quae deinceps subsequuntur (p. 31, 6 sqq.), i. e. rogatione de pecuniis theatricalibus. (cf. Partic. I. p. 14.)

II. Quod jam ad eos locos attinet, quibus oblatam belli opportunitatem orator praedicat (I. p. 10, 25. — p. 11, 10. II. p. 18, 4—16. III. p. 30, 14 — 23.), ex his quidem mea sententia neutram in partem effici quidquam potest, quod aut certum sit, aut aliquam veritatis commendationem habeat. Quamobrem in iis tantum locis morabimur, unde vel lucis aliquid ad nostram quaestionem afferri possit, vel in quibus dubitationes quaedam adversariorum elevandae sint.

In *prima* igitur oratione p. 12, 3—8.: „nam quod multa jam bello amisimus, inquit, id merito nostrae culpa socordiae factum putabimus; quod vero nec dudum id accidit, et oblata nunc nobis est ad ea compensanda societas, si uti velimus, ἀν βουλάμεθα χρῆσθαι, hoc equidem in beneficio divinae

benignitatis numerandum putaverim." In quibus qua ratione haec, ἀνθεμίδης χρῆσθαι, ii existiment explicanda, qui hanc tertiam numerantes orationem bis jam copias ab Atheniensibus Olynthum missas esse perhibent, equidem non video, nisi plus valere vocabulum χρῆσθαι, quam usus fert, statuere voluerint. Mihi ex illis patere videtur, quum haec orator dicebat, nondum foedus factum nec belli societatem initam fuisse. Caeterum quod bellum hoc loco commemoratur (p. 12, 4), non Olynthium est, id quod contra hujus et aliorum locorum sententiam (cf. II. p. 25, 12 sq. 25, 25, 26, 6. III. p. 36, 10) Pinzgerus statuit (ap. Rauchenst. p. 55. not. 15), sed bellum Amphilopolitanum (cf. Westerm. p. 48.)

In contrariam partem memorabilis est locus secundae orationis p. 18, 10 sqq.: Δεῖ τούννυ, ἀλλὰς Ἀθηναῖοι, τοῦτ' ἥδη σκοπεῖν αὐτοὺς, ὅπως μὴ χείρους περὶ ήμᾶς αὐτοὺς εἶναι δόξομεν τῶν ὑποχόντων* ὡς ἔστε τῶν αἰσχρῶν, μᾶλλον δὲ τῶν αἰσχιστῶν μὴ μόνον πόλεων καὶ τόπων ἢ θέμέν ποτε κύριοι φαινεσθαι προεμένουσι, ἀλλὰ καὶ τῷ τοῦτο τῆς τύχης παρασκευασθέντων συμμάχων τε καὶ καιρῶν. Postrema verba non ad praesens tempus, sed ad praeteritum referri linguae jubet usus et ratio. Nam quod Rauchensteinus (p. XI ap. Brem.) perhibet, „significari non homines in societatem jam receptos, sed paratos tantum atque oblatos a fortuna," hoc nihil proficitur. Demonstrandum ei fuit, τοὺς παρασκευασθέντας eos potuisse dici, qui tum ipsum ad societatem ineundam a fortuna oblati essent: quod primum vis Aoristi vetat, qui non ad praesens tempus, sed ad praeteritum pertinet, ut οἱ παρασκευασθέντες non sint, qui nunc sunt parati, οἱ παρασκευασμένοι, sed qui olim praeterito quocunque tempore parati sunt. Tum obstat articuli vis cum participio juncti et eo quidem ad substantivum applicato. Nam οἱ παρασκευασθέντες σύμμαχοι haud recte explicaveris, qui ad faciendam societatem sunt oblati, sed qui jam socii habentur, olim autem a fortuna parati sunt. Recte igitur Lucchesinius hunc locum ad nostram tuendam causam adhibuit.

At quod in eodem exordio p. 18, 4 sqq. Demosthenes, τὸ γέρο τοὺς πολεμήσοντας Φιλίππῳ, ait, γεγενηθένται καὶ χώραν ὄμορον καὶ δύναμίν τινα πεντηκοντάκι, τὸ μέγιστον ἀπόντων, τὴν ὑπὲρ τοῦ πολέμου γγώμην τοιαύτην ἔχοντας, ὥστε τὰς πρὸς ἐπεινούς διαλλαγὰς πρῶτον μὲν ἀπίστους, εἶτα τῆς ἑαυτῶν πατρίδος γομίζειν ἀνέστασιν εἶναι, διμονία τινὶ καὶ διέρη παντάπασιν ἔσικεν εὐεργεσίας — hoc adversarii velut insuperabile suae opinionis firmamentum se nactos esse rati: quid ita? inqui-

unt; tamne vesanum Demosthenem fuisse putabimus, ut in secunda oratione gesturos bellum eosdem poneret, quos in prima (p. 10, 17) iam belligantes produxisset? — Minime quidem. At quam vos in illa verba sententiam intulistis, ea nec fuit Demosthenis, nec potuit esse. Nam quae circumfertur eorum interpretatio, quod *ii*, qui bellum cum Philippo gesturi sunt, sinitiam regionem tenent, in ea mihi quidem duo videntur parum recte se habere. Primum est, quod γεγενῆσθαι simplicem esse copulam, participiis autem (κατηγορίους, ἔχοντας) indicari, quae subjecto (τούς πολεμήσοντας) attributa sint, existimantes, γεγενῆσθαι κατηγόρους, Χέρτας pro κατηγόραις et ἔχει dictum esse putant. Verum quum verbi γεγενῆσθαι ea natura sit, ut transitionis in id, quod verbo εἴη indicatur, notionem retineat nec plane idem sit quod εἴη, sed factum esse, exstisset, evasisse significet, non quovis loco appetet pro εἴη illud dici posse, sed tantum ita, si, quod attributione continetur, ejusmodi sit, ut non in ipsa subjecti natura inhaerescat et quasi natum cum ea, sed rerum progressionē temporumque eventu progenitum atque conflatum sit. Atqui hoc non cadit in ea, quae hoc loco subjecto sunt attributa. Nec enim vicini Macedoniae demum post conditas civitates suas Chalcidenses facili sunt, sed simulac condiderunt, i. e. ex quo Chalcidenses in Thracia fuerunt; nec opibus Olynthii Demosthenis aetate vel paullo ante florere coeperunt, sed dudum fluerant et olim quidem etiam majoribus. Hac ratione eo adducor, ut verba τούς πολεμήσοντας suspensa ex verbo γεγενῆσθαι et in eam sententiam dicta putem, qua participia futuri temporis cum articulo juncta ad finem consiliumque declarandum aliis subjici verbis solent (cf. Matth. Gr. Gramm. §. 268. p. 552.). Quamquam in his verbis illud molestum est, quod, quum in hujusmodi structura nullum copulae praeter ipsum participium addi subjectum soleat, nostro loco participia κατηγορίους et ἔχοντας ad illud declarandum subjuncta sunt. Cae terum ad quod tempus illud participium referendum sit, non ex ipso potest, sed ex verbo totius enuntiationis primario et universae sententiae natura judicari. Inde igitur suspensum est, utrum τούς πολεμήσοντας γεγενῆσθαι interpreteris: quod exstiterunt, qui bellum gerant, an, quod exstiterunt, qui bellum gererent, ut plena totius loci haec efficiatur sententia: *Nam quod ad bellum Philippo faciendum exstiterunt homines et regionem illius regno confinem tenentes et opibus instructi validis,* — *id vero Deorum beneficiae deberi videtur.* Haec autem utrum ad praesens tempus, an ad pae-

teritum referas, non aliunde potest nisi ex ipsa totius sententiae clausula intelligi, quae his continetur verbis: *δαινοντί τινὶ ναι θείᾳ παράνασσιν οἵτινες εὐεργεστικόι.* Quae quidem quum ipsa tam ambigue sint dicta, ut vel nunc factum esse videtur *Deorum benignitate*, vel olim *videtur factum fuisse* significare possint: manifestum est, in utram illa sententiam sint interpretanda, non ex his verbis ipsis, sed ex ea, quae, ex rerum eventu statuque subnata, et oratoris et audientium mentibus obversabatur, cogitatione judicandum esse. Quae quoniam certa et explorata nobis esse non possit, nisi de ipsius orationis colloquatione ac tempore constiterit: hunc quidem locum apparet in neutram partem quidquam adjumenti suppeditare. Ac si vel maxime perstare in illa ratione volueris, ut *τούς πολεμήσοντας* subjecti locum tenere, γεγενῆσθαι autem idem esse quod *εἶναι* adseveres, ne sic quidem contrariae causae quidquam ex hoc loco praesidii subnascitur. Quamecumque enim interpretandi viam ingrediendam duxeris, in temporis ratione recte constituenda non poteris non ad primariam loci sententiam recurrere, quae clausula continetur; nec quidquam est in ipsis verbis, cur potius intelligas *eos qui bellum gesturi sunt*, quam *eos qui bellum gesturi erant*.

III. Iam eos locos, quibus, quid tum maxime consilii capiendum et quid faciendum esset, orator docuit, quoniam plerosque in priore hujus commentationis particula (p. 15—16) persecuti sumus, nunc in paucis tantum commorabimur vel propter commotas ab adversariis difficultates, vel propter ipsorum gravitatem.

Primum igitur quod in I p. 9, 18 sqq. legationem ad Olynthios mitti Demosthenes jussit, quae de accepto foedere decretisque auxiliis certiores illos faceret et rebus interesseret gerendis, ne Philippi vel artibus vel minis decepti ac sua solitudine fracti festinantiū cum isto pacisci in animum inducerent, id quoniam primae orationis consilio, causa tum integra et dubia, multo magis convenire quam tertiae videtur, quum factum jam dudum foedus et auxilia, si non saepius, certe semel missa essent, jam Lucchesinius illud ad vulgatum tuendum ordinem adhibuit. Ad hujus impugnandam sententiam qua Rauchensteinius argumentatione usus est (p. XII sq.), ea nimirum cupidissima est atque levissima. Propter summa jam pericula rerumque discrimina, ait, ad tertiam potius quam ad primam concionem illud pertinere consilium. Sed ut taceamus, nulla in *hac* quidem oratione majorum periculorum quam

in reliquis vestigia inveniri, quae in tertia (Dionys. II) evidentissima sunt: quis non intelligit, quo tempore civitas afflita alterius imploraret auxilium, inter spem metumque suspensa et, num esset illud impetratura, nesciens, eo legationem de nuntiando foedere mitti, animosque dubios auxiliorum spe confirmari atque corroborari, multo rebus convenientius fuisse, quam quum, facta jam dudum societate missisque auxiliis cognita, vix ulla de sociorum voluntate superesse dubitatio posset. Ut igitur in prima oratione tempestivum illud consilium ac prudentissimum fuit, sic in tertia, praesertim quum nulla sit in reliquis ejusdem rei mentio facta, praeposterum ac temere retardatum videbitur.

Non magis probari ea Rauchensteinii disputatio potest, qua Demosthenis monitionem (p. 10, 27.), nullam jam relictam simulationem aut excusationem, quo minus facerent quod deceret, τοῦ μὴ τὰ δέοντα ποιεῖν, in eam interpretatur sententiam, ut, quod minus fecissent quam deberent, oratorem iis exprobasse dicat (p. XXII.): unde missas quidem esse copias, sed non satis validas, appareat. At τὰ δέοντα hoc loco non magis quam ullo alio vi comparationis ampliorem rei magnitudinem modumque, sed in universum rem faciendam officiique et utilitatis ratione praestandam indicant. Ac nostro quidem loco nihil aliud quam bellum contra Philippum suscipiendum significatur, quod Demosthenis ex sententia dudum Athenienses facere debabant. Pari modo Demosthenes in II (Dionys. I.) p. 18, 18. τὸ μὲν οὖν τὴν Φιλίππου φύμην διεξέπειν, ait, καὶ διὸ τούτῳ τὸν λόγων προτρέπειν τὰ δέοντα ποιεῖν ὑμᾶς, οὐχὶ καλῶς ἔχειν ήγοῦμαι et in III (Dionys. II.) P. 29, 10. πέπεισμαι γάρ — τὰ πλείω τῶν πραγμάτων ὑμᾶς ἐκπεφυγέναι τῷ μὴ βούλεσθαι τὰ δέοντα ποιεῖν, οὐ τῷ μὴ γυνέσθαι.

Quam vero alio ejusdem orationis loco p. 16, 6. Rauchensteinius sibi interpretationem indulxit, ea prorsus rejicienda est. Nam, quae commoda ex Macedonicarum rerum conditione ac vicinorum populorum rationibus Athenienses ad res bene gerendas capere possent, ut doceret, Thessalorum, Paenorum, Illyriorum, reliquorum denique populorum infestos in Philippum animos libertatisque recuperandae cupiditatem orator explicavit (p. 15 — 16.) Quibus praemisis, subjecit haec p. 16, 4: Δεῖ τοινυν ὑμᾶς — τὴν ἀκειρίαν τὴν ἐκείνου καιρὸν ὑμέτερον νομίσαντες, ἔτοιμως συνάρχονται τὰ πράγματα, καὶ προσθευομένους ἐφ' ἄ δεῖ καὶ στρατευομένους αὐτοὺς καὶ παροξύνοντας τοὺς ἄλλους ἄποινται. Quibus verbis nemini dubium esse potest quin ad ea, quae de-

Thes-

Thessalia, Paeonibus, Illyriis ceterisque modo exposita sunt, se referat oratio, et ea fuerit oratoris sententia, ut ad omnes Philippo infensos populos, quos-
cunque expediret in bellum societatem vocare, mitti legatos juberet. Ac ne
quid in his ambigui esset, quasi in cumulum haec subjicit: *καὶ παροξύνοτας*
τοὺς ἄλλους ἀπαυτας, quibus, quid istis esset legationibus agendum, sine am-
bagibus explicavit. Attamen Rauchensteinus, in verbis *ἀφ' αὐτοῦ* mirabiliter
haerens, incredibilem hanc excogitavit interpretandi rationem (p. XIX sq.),
ut, quum ipsa illa quo cōsent referenda parum ex hac oratione liqueret,
propterea tam obscure Demosthenem diceret loquutum esse, *quod jam in prima*
oratione (vulgo II) *distinctius de eadem re mentionem fecisset* (II p. 21,
11.). Hinc igitur effici putat, ut haec, de qua nunc loquimur, oratio non
prima, sed tertia, illa autem, ad quam sint ista verba referenda, sit prima
numeranda. Quasi vero — ut cetera omittamus — tantum arrogantiae aut
ullus orator ipse sustinuerit prae se ferre, aut Atticorum aures delicatae fasti-
diosaeque passae sint, aut tam religiose ac tenaciter illi singula cuiusque
dicta fixa in mentibus memoriaque tenuerint, ut, quaecunque olim in concio-
ne quisque defluente oratione attigisset, ad illa postea, multis interjectis mensi-
bus multisque aliis et comitiis habitis et orationibus vel ejusdem vel aliorum
interpositis, obscuro uno atque ambiguo vocabulo remittere audientium sag-
citatem et recordationem liceret!

Iam qui ex locis supra memoratis ad vulgatum firmandum ordinem ido-
nei sunt, horum eos juvat paullo diligentius expendere, unde, quibus ma-
xime praeteritiae memoriae exemplis orator usus sit ad civium suorum in-
dustriam et agitationem incitandam, intelligitur, ut, quid quoque tempore per-
ficere his documentis voluerit, judicare possimus. In his prae ceteris duo sunt
memorabiles, I p. 11, 7—28 et III p. 29, 20 — p. 30, 13. Priore loco De-
mosthenes, celebrata hac nova belli Philippo faciendi opportunitate, ut ad eam
promptis paratisque animis arripiendam cives impelleret, quid *ex nihil agendo*
jam prius saepe detrimenti res publica cepisset, iis pristinae memoriae exem-
plis edocuit, quae, non *minus quam deceret*, sed *nihil omnino arguerent* ad
reprimenda Philippi consilia Athenienses fecisse omnesque ejus rei occasio-
nes, otii captos dulcedine, praetermississe. Nam rejecto Amphipolitanorum
foedere, Pydna, Potidaea, Methone, Pagasis, aliis oppidis desertis et *nullo ad-*
jutis auxilio, quantum regis accreverint opes, Atheniensium deminutae sint,

explicavit. Quibus expositis ad praesentem rerum statum orationem his verbis reducit p. 11, 26. νῦν δὲ καὶ τὸς οὗτος, ὁ τῶν Ὀλυμπίων, αὐτόματος τῇ πόλει, ὃς οὐδενὸς ἐστιν ἐλάττων τῶν προτέρων ἐκεῖνων. Qua ex comparatione recte colligas, quum haec Demosthenes dicebat, nec foedus jam fuisse cum Olynthiis factum, nec bellum ab Atheniensibus susceptum, sed id ipsum ut decernerent, illis oratorem documentis persuadere civibus voluisse. Atque in eandem sententiam haec dicta sunt: p. 12, 17. Διὸ καὶ σφόδρα δεῖ τῶν λοιπῶν, ὡς ἄνδρες Ἀθηναῖοι, φροντίσατε. — εἰ δὲ προσόμενα καὶ τούτους τοὺς ἀνθρώπους, εἴτε Ὀλυμποὺς ἐπείνος παταστρέψεται, φραστήτω τίσμοι σετ. p. 17, 7. πάντα δὴ ταῦτα δεῖ συνιδόντας ἀπαντας βούθειν καὶ ἀπωθεῖν ἐκεῖσε τὸν πόλεμον. Quibus in verbis quod ἀπωθεῖν orator dixit, id indicio mihi esse videtur de bello agi nondum ab Atheniensibus suscepto, sed tum maxime in illa loca transferendo, ne in Atticam ipsam ingrueret.

Cum his si ea comparaveris, quae in tertia oratione (Dionys. II.) l. 1. ad populum incitandum documenta orator protulit, ea sunt hujusmodi, ut voluntatem quidem Olynthiis opitulandi in civibus fuisse, nec omnino hos defuisse sociis, attamen non eam, quam tempora requirerent, virium contentio- nem contulisse ad res gerendas arguere videantur. Nam illius memoriam temporis in audientium animos revocat, ubi, bellum Philippo in Thracia gerente Heraeumque castellum oppugnante, magnas Athenienses copias et quadraginta triremes parandas censuerunt, mox vero, de morbo regis vel etiam morte rumoribus sparsis, adeo deferbuerunt animi, ut integrum cunctati annum pro ingentibus illis copiis tenuem atque inopem exercitum mitterent. Atque haec simili, ut supra, monitione ad causam, de qua tum agebatur, transferens, νῦν δὲ τέργου πολέμου, inquit (p. 30, 8.), καὶ τὸς οὗτος, δεῖ δὲ καὶ περὶ τούτων ἐμνήσθην, ἵνα μὴ ταῦτα πάθητε. Ex his, credo, capi conjectura potest, quo tempore haec est oratio habita, susceptum jam bellum copiasque missas Olynthiis auxilio fuisse, sed non tantas, quantas rerum necessitas flagitaret. Nisi temere raptimque gravissimum oratorem putamus agendarum rerum documenta collegisse, non ea, quae cuique et tempori et causae essent accommodatissima.

IV. Ejusdem primae orationis (Dionys. III) sunt aliquot loci, unde satis probabili argumentatione concludere liceat, circa ipsum Olynthii belli initium eam esse habitam.

1. Quo tempore haec oratio habita est, eo Chalcidicae urbes, societate ac foedere cum Olynthiis junctae (de fals. legat. p. 425, 18 et p. 426, 9), nondum in Philippi ditionem concesserant. Nam p. 14, 5—17 Demosthenes, rationem gerendi belli explicans, duplarem vult exercitum parari, *unum qui civitates Olynthiorum socias tueatur* (*τὸν πόλεις τοῦ Ολυνθίου σώζειν*), alterum, qui ipsam regis terram invadat atque populetur. Servari autem urbes non potuissent, si jam captae a rege fuissent. Atqui totum bellum Olynthium, cuius initium Ol. CVII, 4., finem proximo anno Ol. CVIII, 1. factum esse Diodorus Sicus tradidit (lib. XVI. c. 52. 53.), non multum ultra unius anni spatium extractum est: id quod nostri oratoris confirmatur auctoritate, qui nondum integro transacto anno refert civitates Chalcidicas omnes in regis potestatem concessisse. (De fals. legat. p. 426, 13). Caeterum istas plerasque proditione captas tam cito et quasi certatim se in regis fidem dedidisse, ut non haberet quam primam caperet, non solum idem testis Demosthenes est l. 1., sed consentientem quoque Diodorum habet, qui Ol. CVII, 4. Giram castellum a Philippo expugnatum ac dirutum aliaque oppida formidine perculta regis in ditionem se tradidisse refert (l. 1.), proximoque anno (Ol. CVIII, 1.) Mecyberna et Torone proditione captis, contra ipsam Olynthiorum urbem esse castra mota. Quo facto hos, duobus proeliis victos et obsidione pressos diurna, quum in propulsandis hostium oppugnationibus crebras gravesque illorum strages edidissent, denique suorum proditione ducum esse ad ditionem compulsos. His omnibus diligenter ponderatis quum in Olynthiis ipsis vel in acie superandis vel intra moenia oppugnandis maximam belli molem fuisse plurimumque consumptum temporis appareat, reliquas autem civitates faciliori vel nullo captas negotio: quanta his celeritate Philippus potitus sit, etiam hinc existimari potest, quod duas et triginta urbes in Thracia tanta regem crudelitate diruisse Demosthenes perhibet (Phil. III p. 117, 20), ut nulla earum vestigia relinquerentur. Itaque vix quisquam dubitabit, quin ea oratio, in qua civitates illae defendi ab hostium oppugnatione servarique Olynthiis jubentur, in primum belli initium inciderit atque tempore antecesserit eam, in qua propter summa jam rerum discrimina summam desiderari virium contentionem orator docet (Orat. III.).

2. Eodem tempore nec Olynthiorum tam afflita conditio fuit, ut animos demitterent, nec Philippi tam commoda, ut insolentiores ex rebus ge-

stis ferociam sumeret. Primum igitur Olynthios nondum obsidione hoc tempore clausos fuisse, ex eodem cognoscitur loco, quem supra attigimus. Ibi enim quum, *si illud accidisset*, quid eventurum esset, conjectura praeceperit orator (p. 14, 11—16), hac ipsa posita conditione nondum in rerum veritate id consequutum esse significavit. Praeterea, quod *tempore procedente* (*τῷ χρόνῳ*) i. e. *ad extremum regem*, si pravis Athenienses consiliis uterentur, expugnaturum urbem praedicit, id indicio est, tum quidem nondum hujus rei magnum fuisse periculum. Ancipitem vero tum belli fuisse fortunam et in neutram se partem inclinavisse, docemur p. 16, 15—20. Εἰδὼν μὲν γὰρ ἀντίχειαν τοῦ τῶν Ολυνθίων, ὑμεῖς ἐκεῖ πολεμήσατε — ἀλλ᾽ ἐπεῖγεν Φιλιππὸς λαβεῖν, τοῖς αὐτὸν ἔτη πολεμήσαι δέντος βασιλέων; ex quibus verbis, utrum esset horum, quae posita sunt, eventurum, dubium tum quidem et incertum fuisse recte judicabis. Neque eo jam rerum devenisse cursum, ut fracti Olynthiorum animi vel suspensi essent quidque caperent consilii haesitarent, ex hoc intelligitur, quod p. 10, 14—22 eos tum Olynthiorum animos fuisse orator declarat, ut ab omni pactione cum Philippo facienda abhorrerent; et p. 11, 2—7 fidelissimos eosdem firmissimosque Atheniensibus socios futuros, Philippum vero diuturno et implacabili odio persecuturos affirmat, quod non ab illis sollicitati, sed ipsi propter suas injurias bellum suscepserint. Haec omnia vero talia sunt, ut ne fingere quidem oratori sobrio licuisset, si magnopere tum res Olynthiorum afflictæ fuissent.

Philippum autem nec magnas illo tempore res in bello perfecisse, nec superbiores jam spiritus gessisse, ex tribus maxime locis cognoscitur. Primum enim p. 15, 10 sqq. hoc regi praeter opinionem accidisse perhibetur, ut, quum primo impetu nulloque negotio capturum se omnia sperasset, nunc ei depugnandum armisque configendum esset. Quod si praevidisset, ne suscepturum quidem illud bellum fuisse. Τοῦτο δῆ πορῶν αὐτὸν ταράττει, παρὰ γνώμην γεγονός καὶ πολλὴν ἀθεμίαν αὐτῷ παρέχει. Quibus in verbis quod τοῦτο Rauchensteinius non ad Chalcidicas tantum urbes, quas proxime praegressis notari manifestum est, sed Atheniensium ad auxilia referendum putat (p. XXIX), id vero nemini persuadebit, quicunque incorrupto judicio sententiatarum verborumque rationem perpenderit. Haec autem ne putas cum iis pugnare, quae de fals. legat. p. 426, 13—16 referuntur, ea sic videntur concilianda, ut primum quidem istas civitates Philippi armis restitissee, mox au-

tem, nondum integro transacto anno, vel bello fessas, vel proditorum deceptas perfidia; certatim in regis fidem se tradidisse statuamus. Illud certe loco supra laudato docemur, quum haec oratio habita est, nondum expugnatas eas urbes a rege fuisse. Tum p. 10, ut ad foedus cum Olynthiis sine mora in eundum civium voluntatem propelleret, hoc argumento Demosthenes usus est, quod, si neglexissent mature celeriterque id facere, metuendum esset, ne fraude sua artibusque rex Olynthios, operatis Atheniensium auxiliis destitutos et in solitudine derelictos, ad pactionem sibi commodam peliceret: quamquam nunc quidem nihil magis illi responderent, quam in gratiam cum Philippo redire: p. 10, 14. πρὸς δὲ τὰς καταλλαγὰς, ὃς ἀνέπεινος ποιῆσαι τοῦ σομενίου πρὸς Ολυνθίους, ἐννοεῖται. Haec omnia ut dici vix potuerunt, nisi quo tempore nondum factum inter Athenienses Olynthiosque foedus esset, sed illud ipsum in deliberatione versaretur, num esset faciendum, quoniam his manifestum est ad suscipiendam belli societatem oratorem stimulare civium animos voluisse: sic, Philippum ad pactiones cum Olynthiis faciendas tum fuisse propensum, initio tantum belli persuaderi audientibus potuit. Tametsi enim tantum Wolfio, et qui huic assentiuntur, concedamus, ut πρὸς τοπογραφίαν ea dicta esse arbitremur, tamen, nisi manifesta commenta putidaque mendacia gravissimis obtrudere scriptoribus volemus⁶ non ita πρὸς τοπογραφίαν conficta esse putabimus, ut ei, quae tum esset, rerum conditioni adversarentur, sed per eam, etiamsi non evenerint, tamen possent accidere. Hunc igitur necesse est tum rerum statum fuisse, ut nullidum rebus magnis a rege gestis, utram in partem esset belli fortuna exitura, in ancipiti incertoque versaretur. Philippus enim quum nullo negotio se omnia capturum sperasset, non solum in hoc falsus fuerat, sed Athenienses quoque ab Olynthiis auxilio vocati ne foedus oblatum bellique societatem susciperent, metuebat. Quod ut evitaret, vel maxime curae cordique ei fuisse consentaneum est. Quocirca propensum regem ad praeoccupandam pactionem fuisse, praesertim qui artis suae fraudisque felicissimum saepe eventum expertus esset, quis non sibi persuadeat? In contrariam vero partem, si jam tum magna consequitus fuisse, si Chalcidicas urbes in ditionem suam accepisset, si ad ipsam Olynthiorum urbem castra movisset eamque cinxisset obsidione, verbo ut dicam, si ea jam evenissent, quae, quum tertia haberetur oratio, accidisse verisimile est: non sobrii oratoris, sed insani declamatoris ineptique nugatoris fuisse, tam insulsis

et manifestis mendaciis audientes ludere! Quem ipse testis est Demosthenes (Philipp. III p. 113, 11.), quum quadraginta ab Olynthiorum urbe stadia abesset, his denuntiasse, duorum fieri alterum oportere, aut ut Olynthii urbe sua, aut ut ipse Macedonia cederet, eum nostro loco putabimus, si tanta jam esset, quanta diximus, consequutus, ab eodem dictum pacisendi cum Olynthiis cupidum fuisse? Quod quum ab omni probabilitate abhorreat, inter prima statim belli initia hanc orationem esse habitam non est quod dubitemus. Huc denique accedit, quod p. 16, 24., quae civitati Atheniensium, si perdomitis Olynthiis in Atticam ipsam rex arma tulisset, pericula nietuenda essent, persecuens orator, *nunc quidem illud*, ait, *etiam cum insaniae culpa eundem in animum inducere, ἀνταποτιμώντες οὐκέτι τούτην τὴν ὁμοίαν εἰσλαλεῖ*. Quibus verbis et Philippi fortunam illo tempore non florentissimam fuisse docemur, et evidenter ea redarguuntur, quae de summis in hac oratione proditis periculis Rauchensteinus commentus est (cf. supra p. 8.).

V. Denique maximi ad nostram quaestionem momenti sunt, quae de theatralibus stipendiis in his orationibus memorantur. Quae res quoniam a Westernanno satis copiose explicata est (p. 65—69), quum silentio eam praetermittere per ipsius gravitatem prohibeamur, tamen quam fieri poterit brevissime in ea versabimur. Quum igitur veteri instituto apud Athenienses receptum esset, ut, quod singulis annis reliqui ex publicis vectigalibus fieret, in aerarium referretur et ad belli usus incertosque fortunae casus reservaretur: postquam Periclis auctoritate constitutum est, ut ad spectacula obeunda civibus viritim bini oboli expenderentur, militares illae pecuniae consumi in spectaculis coptae sunt. Quam temeritatem etsi viri boni identidem impugnaverunt, tamen non defuerunt homines improbi, qui, popularem auram captantes istisque illecebris inescantes plebeculam, pravam eam consuetudinem tuerentur. Ita factum est, ut non solum Apollodorus, quum legem tulisset de theatralibus pecuniis ad belli usus conferendis (Ol. CVI, 4.), quindecim talentis multaretur, sed etiam ex Eubuli, perditissimi concionatoris, sententia populus interposita capitali poena vetaret, ne quis theatralia aera censeret ad militares usus revocanda (V. Boeckh Oeconom. publ. Athen. I p. 194 sq. 235 sq.) Hinc, quantae res cautionis quantique discriminis fuerit, intelligitur, in ea re quidpiam novare. Itaque Demosthenem videmus, quum in prima oratione de belli sumtibus dicendum esset, nondum magna premente neces-

sitate, admodum caute timideque rem attingere magisque ambagibus significare quam apertis et distinctis verbis explicare (p. 14, 18—p. 15, 5.). Quid? quod diserta dissimulatione declinandum crimen putavit. Nam obloquenter sibi aliquem hunc in modum faciens: „Heus tu, rogas igitur, ut haec ad stipendia militaria conferantur?” Immo vero, inquit, non rogo; sed milites censeo conscribendos parandaque stipendia omnesque et lucri faciendi et officii praestandi partes exaequandas. Vos autem nihil agendo haec in spectaculis consumitis.— In secunda vero oratione, quam non in suadendo foedere rogandisque iis, quae facienda essent, sed in urgenda et incitanda captorum consiliorum executione versari vidimus (Partic. I p. 14 sq. et supra p. 3.), quum nec persequendis belli gerendi rationibus, nec aperiendis impensarum fontibus ullus omnino locus esset, de re dicta nulla est mentio injecta. Iam vero tertiam in eadem et uberiori explicanda et gravius contendenda totam esse occupatam supra docuimus (Partic. I p. 14 et supra p. 4.). Nec solum uberiorem copiam in hac orator ad illam causam disceptandam attulit, sed etiam confidentiorem audaciam. Nam quum in prima periculum capitatis detrectanda tali rogatione vitandum putaverit, in hac jam sine ambagibus rem aggreditur, p. 31, 13. λέγω δὲ τούς περὶ τῶν θεωριῶν (νόμους), σαφῶς οὕτωσι. Quum igitur in una oratione tam timidum providumque oratorem videamus, in altera tam incautum atque audacem in eadem re persequenda: quaenam potuit alia tantae discrepantiae causa subesse, nisi aequa magna rerum inter primam tertiamque orationem facta commutatio? Nam quum in illa, nulladum gravi premente necessitate, temerarium fuisse, ultro in capitatis periculum incurriere: in tertia, summo jam rerum adducto discrimine, ad extrema decurrentium consilia suamque securitatem patriae posthabendam in columitati censuit. Contra, si secunda haec esset oratio, illa autem, quam primam habemus, tertia; nulla doceri satis probabili ratione posset, quo pacto accidisset, ut, quum tam ingenua ac libera gravitate primum orator in illam temeritatem insurrexisset, mox timide vela contrahere, quam totam rem silentio transmittere mallet. Nam, quae Rauchensteinus hac de re ad suam tuendam sententiam attulit (p. XXX sq.), iis nihil efficitur. Cf. A. G. Becker 1, 1, I p. 126 sq. Westermann p. 65—69.

C a p u t . I V.

De quibusdam ad impugnandum vulgatum ordinem allatis argumentis.

Reliquum est, ut, quos in locis quibusdam Demosthenicis in suam rem convertendis Rauchensteinius videtur errores admisisse, paucis notemus, praetermissis iis, quorum vel supra memorandorum datus est locus, vel qui per ipsam argumentationis infirmitatem levitatemque redarguuntur.

I. Ac primum quidem iis locis male Rauchensteinius abusus est, quibus pericula civitati Atheniensium imminentia, si nolint Olynthios servare, indicantur. Nam quod in prima oratione tribus locis Demosthenes (p. 12, 20, 13, 15, 16, 13.), si in Macedoniam transferre bellum neglexissent, futurum esse declaravit, ut ipsorum in terram illud ingrueret, hinc Rauchensteinius, quoniam in reliquis duabus eo metu nondum suos territaverit, illud sibi videtur colligere posse, et periculi auctam magnitudinem hac oratione demonstrari et postremum ejusdem locum argui. Sed primum, quod nullam de ea re in ceteris orationibus mentionem esse injectam perhibet, in eo vir doctus falsus est. Nam etiam in tertia (Dionys. II.) de ejusdem periculi propinquitate Demosthenes apertissimis gravissimisque verbis cives suos commonet (p. 30, 23 — p. 31, 6.), nihil Philippo obstare adseverans, quominus illis subactis in Atticam ipsam bellum declinet, et eorum increpans temeritatem, qui *in propinquuo* pericula videre quam de longinquis audire, et ipsi sibi querere auxilia quam aliis praestare malint; nam eo rem exituram, si recte praesentibus uti nolint, *neminem esse qui nesciat*. Atque in eandem sententiam p. 32, 27. *εἰ δὲ ναι ταῦτα, αἴτιος τῆς χάρας γενήσεται, πάντων αὐτοχθόνων μεσόμεσθα*. Sed praeterea nullum ex ejus rei mentione capi de majoribus minoribusve cujusque temporis periculis judicium potest. Nam quum ad futurum *totius* belli eventum metus ille pertineret, non minus apte recens exerto quam exente bello praetendi civium mentibus potuit. Quid? quod in Philipp. I., quae oratio quatuor ante bellum Olynthium annis habita est, eodem metu Demosthenes populum exterruit. Pag. 54, 19. *Καὶ μὴ νῦν ἐθέλωμεν ἐκεῖ πολεμεῖν αὐτῷ, ἐνθάδε τοις ἀναγκασθησόμενα τοῦτο πολεύειν.* Inde vero quis est qui colligat, majora tum pericula quam initio belli Olynnthii Atheniensibus imminuisse?

II. Quae de Thessalis ab oratore nostro memorata sunt, majore cum cupiditate quam veritate Rauchensteinius in suam sententiam interpretatus est.

Nam

Nam quod in prima (Dionys. III.) p. 15, 18. Thessali Magnesiam ne munitionibus rex firmaret impedivisse, in secunda vero (Dionys. I.) p. 21, 14. agere cum eodem (*λόγος ποιεῖσθαι*) de Magnesia sibi restituenda perhibentur, in eo Rauchensteinus inimicitiae quandam agnoscentis progressionem, alterum (*λόγος ποιεῖσθαι*) prius factum, alterum (*κανωλύνασι τελεῖσθαι*) post insequutum esse opinatur (p. XXIII.). Verum ad eandem rem idemque tempus esse utrumque referendum, sobria utriusque loci comparatio docere videtur. Nam quum Philippus, postquam Magnesia potitus erat, Thessalis se eam redditurum pollicitus esset (p. 20, 2. cf. Philipp. II p. 71, 11.), mox autem cunctando eos producere munitionibusque firmare urbem coepisset, tum et prohibuisse munitionem et de restituenda sibi urbe cum rege Thessalos egisse consentaneum est.

Praeterea quoniam in prima l. l. infidi Thessali quum in omnes homines, tum in Philippum esse arguuntur, in secunda vero (Dionys. I.) p. 20, 14. lenius mitiusque de iisdem orator loquitus est, in hac „minus certe de illorum consiliis constitisse quam in illa“ Rauchensteinus judicavit. At vero priore loco, ubi de populorum a Philippo subactorum infestis in regem animis libertatisque recuperandae cupidis orator mentionem fecit, aptissime famosae Thessalorum perfidiae admonuit audientes; altero loco, ubi Philippi maxime fraudes injuriaque exagitantur, tantum non ineptum fuisse illud facere. Caeterum nec tam recens capta ista consilia videntur a Thessalibus, ut de certiore minusve certa auditione singulis orationum temporibus cogitare liceat, neque ex illis consiliis Demosthenes suspensum judicium suum de Thessalibus fecit, sed ad pervulgatam inter homines de populi ingenio existimationem illud accommodavit: p. 15, 15. *ταῦτα γὰρ ἀπίστα μὲν οὐ δῆμον φίσει καὶ αἱ πᾶσιν ἀνθρώποις κομιδὴ δέ, ὥσπερ οὐ, καὶ ἔστι νῦν τούτῳ.*

Denique quid ista sibi velint, quae de legatione ad Thessalosmittenda Rauchensteinus disputavit (p. XXIV.), equidem me non assequi fateor. Nam quia in secunda oratione (Dionys. I.) p. 21, 11. legationem ad Thessalos mitti Demosthenes jubet, *οὐ τούς μὲν διδάξει ταῦτα, τούς δέ παροξυνεῖ*, inde primam hanc esse orationem concludit, quoniam, si hanc alia antecessisset auxiliaque, ut ex Philochori testimonio statuendum esset, ante secundam essent Olynthum missa, id latere Thessalos non potuisset! Verum, obsecro, ut de dubia copiarum missione taceamus, quis non videt, quod nuntiari Thes-

salis Demosthenes voluit, id per rei naturam et loquendi rationem, quum ταῦτα dixerit, nihil esse aliud posse, quam quod hac ipsa oratione et hoc quidem loco persuadere civibus contendit (p. 15, 9 sq.), ut auxilium ferrent Olympiis? Sive igitur nondum erant auxilia missa, tum demum id parari nuntiandum Thessalis jussit; sive jam praecessit exercitus, tunc novae nuntio expeditionis firmandos Thessalorum animos censuit. Neutrum vero tum quidem Thessali compertum habere potuerunt, quum ne Athenienses quidem ipsi, dum in concione orator verba faciebat, quod esset populi decretum consequuturum, praenoscerent.

